




1
7
259









FLORENTINA
PHYTOLOGICA OBSERVATIO
DE MALO LIMONIA CITRATA-AVRANTIA

FLORENTIÆ VVLGO

LA BIZZARRIA.



PETRI NATI
DOCTORIS MEDICI
FLORENTINI
IN PISANA ACADEMIA

Simplicium Medicamentorum, Professoris Ordinarij,

Necnon Musæi, & Horti iatrici Præfecti

FLORENTINA

PHYTOLOGICA OBSERVATIO

DE MALO LIMONIA CITRATA-AVRANTIA

FLORENTIÆ VVLGO

LA BIZZARRIA.





FLORENTIÆ,

Typis Hippolyti de Naue. MDCLXXIV. *Sup. perm.*



pro
fos:
exige
& ign
cum
inam
venu
strari
dece
xit
dien
gnos
merit
stetu

IV

AD LECTOREM.

Erat animus ſub vna Phytologicæ obſeruationis Epigraphe omnigenas plantarum ſpecies in hortis Florentinis repertas; diuque ſucciſiuis temporibus à me obſeruatas multorum ad exemplar onomaſtico ordine recenſere: & ſi quæ ſimul paralipomena in eodem genere extitiſſent; cuncta in vnum volumen recluſa publici iuris aliquando facere: non alium in finem, niſi vt indigenæ vno ferè intuitu ſtirpes, quas colere Florentia didicit, probè noſſent: & aduenæ illas, quæ forent à nobis expetendæ nunquam ignorarent. Hoc mecum dum commentabar opuſculum; & animo manus congruebant; iconeſque multas ære iam inciſas, & huic rei comparatas reſeruabam: obitu Excellentiſs. viri Thomæ Bellucci nobilis Piſtorienſis in Piſano Liceo ſimplicium Profeſſoris ordinarij, Hortique Medici Cuſtodis; & olim prçceptoris mei humaniſſimi; placuit Sereniſſimo Coſmo Magno Etruriæ Duci ob ſummam illius præmeis meritis beneficentiam idem mihi prælegendi munus impertiri, meque ſimplicium viridario præficere: hinc publicis ac domeſticis rerum ſuſceptarum oneribus nulla alterna requie detentus; temporis aliquid eripere adhuc non valebam, quo priorem proſequi laborem; nedum adimplere potuiſſem. Interim benignæ vocis edicto cogor, non vt Hercules africanis ab oris trina aurea poma ad Tyrannum ardua imperantem referre:

Sed

Sed malum auream verè trifacem, & minimè fabulosam nostris in Hesperidum pomarijs primum visam, ac nemini indictam publicis monumentis consignare: cuius obsequio, vt libenter obtemperassem requirebat vrbanitas; & nimia in exquirendo aliorum iudicio de meis obseruationibus cura summoperè desiderabat. Quandoquidem si poma, quę nunc ori tuo degustanda ex aliena voluntate libens offero, non omninò insuauia probaueris; animum ad reliqua sponte, citoque proferenda confirmabis: sin minus in tenebris patiar delitescere; ac sine vlla vnquam lucis illustratione marcescere permittam. Verum si ad probandum, vnam hanc tibi non suffecturam putabis; quæso adeas Vlissis Adrouandi Dendrologiam ab eruditissimo Ouidio Montalbano paucis ab hinc annis promulgatam: in qua sub paginis 220. & 440. alteram de fungo vermiculato obseruationem, & iconem eidem à me communicatas reperies. Tu igitur, vt æquitatem potius, quam iustitiam in iudicando serues; fac non morsicatim degustes; sed leniter delibando explores: & si aliquam in legendo gratiam à lepidissimo Ferrario (cuius hic fabulam sequor) mutuatam inueneris; scias me id solum præstitisse; vt cibum quem culpa ingenij mei illiberalem apposui, nobili condimento tibi redderem gratiorem. Vale.

DE

DE MALO

LIMONIA CITRATA-AVRANTIA FLORENTIAE VVLGO LA BIZZARRIA.

EN tuis Ferrari aureis Heſperidum pomarijs aurifera; & nuſquam à ſeculo viſa inſerenda pomus; quæ primum Ethruriæ in ſinu, & in hortenſi, ac peramœno Panciaticorum ſolo diu ſingularis præfulſit; mox ab amica ſui expertiſſimi repertoris manu (haud quaquam ab Herculea raptrice) ad reliquam Heſperiam delata in floridiſſimis, ac vireſcentibus pręclariſſimarum Vrbium Theatris perpetua fronde, auroque duplici, quo ſua ipſius poma diteſcunt; feliciter nunc hoſpitatur, & vernat. Hanc ſi fabuloſo Atlantidum mendacio inhærendum, iure dixerim africanas cultrices vnanimes ſuis manibus conſeuiſſe; atque vnà ſorores licet ſingulæ ſuorum præſides malorum; nempe Citri Egle; Arethuſa Limonis; Heſperthuſa Aurantij diſiunctis arboribus diſtincta colerent pomaria; vnicam tamen mutui indicem amoris, & laudatiſſimam Medicæ arboris ſpeciem extitiſſe voluerunt; quæ miro diſcrimine foe-

Alluditur fabulę trium Heſperidum; ſub qua Pater Io: Baptiſta Ferrari integram malorum medicorũ Hiſtoriam diuulgauit.

ta multiplicis generis ramos, totidemque folia, Flores, & fructus ingeniosè pareret; interque aurea poma vnum prę cęteris multiformi ſpecierum conſortio mirificè diſcriminaretur; vt quas indiuiduus, & ſororius amor conſtrinxerat; vna, & communis arbos ninpharum amplexaretur poma, inque vno trium plures ſororiari viderentur fructus Heſperidum.

Deſcribitur malus Limonia citrata-aurantia. Vbi, & Quando reperta.

Verum ſi nudam non erubeſcimus veritatem intueri; & cum hortorum cultoribus inter Citreta philoſophari malumus, quam fabulari. Iam ab annis circiter triginta Florentina nobilium in ſuburbanis Panciaticorum ſuauiſſima Tempe malum de genere Medicorum maioribus non inuiſam ſolum; ſed etiam inauditam admiranda partus nouitate peperere: cuius prima parens Aurantia; licèt filiam ſuſceperit monſtroſam; formoſam tamen miro naturæ portento adinuenit: dum ad illius monſtruoſum aſpectum minimè horret animus; ſed nouiſſimum inter hortenſes delicias amat miraculum. Pulcherrimam verò; & verè imperio dignam huius arboris ſpeciem ſi de facie inter congeneres cupis agnoſcere; hiſce notis, & lineamentis internoſce.

Quib. radicibus innititur.

Non potuit niſi alienis inniti radicibus; & exurgere trunco; quæ ſola inſitione pro-

pagatur

pagatur arbos : noſtra plerunque inſitiuum germen Aurantiæ non alijs altricibus alitur radicibus; nec rectore ſtipite regitur, quam Aurantiæ; aut alterius eiuſdem generis, cui denupſerit mali. Adoptiua, ac numeroſa ramorum prole; nec non ſpiſſo foliorum ambitu triformis adoleſcit; vegetoque incremento in ſtaturam ſatis prægrandem adeo eualeſcit; vt tergeminis ſilueſcere arboribus crederetur; niſi caudice ex vno ramoſa libertate luxurians triplex erumperet : triplex in quam erumpit; & ramos incompoſito ordine alios benè virentes Aurantiæ æmulos; alios ex viridi flaueſcentes, & aculeatos Limonijs Citratis ſimillimos; alios vtriuſque formæ participes; erectos alios; alios ad latera; alios denique obliquè ſurſum nitentes mirabili varietate diffundit. Neque verò aſpectus diſſimiles in ramis duntaxat; ſed etiam in folijs; cæteriſque partibus demiramur.

Huius arboris forma, & proceritas oſtenditur.

Rami huius arboris.

Etenim folia triplicato itidem diſcrimine æternoque virore ver agunt aſſiduum; & eorum partim breui, nudoque pediculo prolixa ſatis; craſſa; ac lętè virentia crenata periferia foliorum Citrati Limonis imaginem adunguem referunt: illis tamen quamuis contrita ſuauiter, ignauius redolere animaduertimus: partim cacuminè faſtigiata; ſaturata

Explicantur folia.

viriditate; pixidatis pediculis; & cum intenſo amarore admodum odorata ab ijs, quę vulgarem aurantiam conueſtiunt nulla prorſus diſcrepante nota diſſentiunt; pleraque tenuiter alatis pediculis, modicè per ambitum crenata; ſubluteis interdum maculis aſperſa; & in nouellis, extremiſque ramorum teneritatibus obſoletè rubella vtrorumque ſimul tam Citratæ Limoniæ, quam Aurantiæ foliorum naturas, formaſque imitantur.

Neque miraberis ſi pręter vulgatas foliorum varietates; quas impar humorum diſſimilium permixta dedit ſocietas; nouis denique formis ipſorum ſemper quamplurima, vel tumida turgeſcant in bullulas; vel contracta rugentur in criſpas; aut pronam in partem conuoluta reflectantur, aut in ſupinam replicentur; aut in latus diſtorqueantur; aut carinata incuruentur; aut mille in alios figuræ variantis abeant aſpectus; quos ſi me iudice; diſparilis fibrarum contextus ad facilem, optimumque rei vmbratilis explicatum non æquè concordium mirè potiſſimum digeſſit.

Aperiuntur flores. Diſparibus ramorum formis; foliorumque diſcordibus multiplex item, ac mira florum; pomorumque reſpondet varietas; quam ſi naturæ operantis lege primum in floribus aſpexeris,

xeris, bis anno verna ſcilicet; & autumnali tempeſtate hoc ipſum optimè deprehendes; Maio tamen facilius, quo tempore ramulorum extremitates confertim vndique efflore-ſcunt. Flores igitur ſi multiformes; aut v-niuſmodi polliceantur fructus; ex illis non adhuc diductis, nequedum adapertis dignoſcitur: priores enim dum ſemifloridi tenellulam traducunt infantiam contractiori globulo, angulari, perſæpe inæquali, ac vinoſo rubore perfuſi Citrati Limonis Aurantij ſpem ratam oſtendunt: adultiores foliolis explicantur amariuſculis, craſſioribus, quam in Aurantia; amplioribus, quam in Citrato: foris remiſſius rubentibus: intus omnino exalbidis; & odore perquan iucundo, non ita tamen vt in Aurantijs acuto, neque vt in Citratis infirmo ſuauiſſimè halant. Cæteri, qui extant plerumque rariores promiſſiori capitulo; aut omnino candidi Aurantium promittunt; aut cum candore ſubrubentes Limonem offerunt citratum: vtrique verò à conſortibus non abhorrentes non alijs indigent vt exprimantur notis; cum deſcriptores inuenerint. Inter hęc autem florea diſcrimina omnibus conuenire compertum floribus: quod quatuor interdum quinque plerumque in folia initio carinata, mox demum prope caſum repanda

Quomodò ex floribus Pomorum varietas dignoſci queat.

dira-

diradientur; quorum minimè multi citra pistillum (non dubium pomorum indicium) integri decidentes abortiunt; reliqui omnes fœcundi feliciori euentu deflorefcunt in fructus: trinas quorum effigies ita difcretæ fpecies conftanti lufu tripartitò difterminant; vt vna ardentiori auro Aurantium conformet; ab altera pallidiori Limon reprefentetur citratus; poftrema venuftior pomum ex vtroque mirè conflatum exhibeat; hinc arbore in vna triplex pomorum difcrimen; hinc vno in pomo duplex malorum genus agnofcimus.

Poma oftendūtur.

Cæterum quis cunctas formarum myriades; quibus natura in fingulis pomorum afpectibus, aut licentius lufit, aut elegantius delirauit enumeret? Si enim ab Aurantijs exordiar: alia fæpius prælongi corporis forma Limonis inftar vifuntur; alia rarius exertis papillis inter Limonem, & Aurantium media quafi Limas præfeferunt; alia interdum vulgatam pomorum in fphæram rotundantur; alia amplitudinis incremento Lumiam frequenter adæquant: quædam vulgaribus, & acri medulla Aurantijs in totum ferè conformia; quædam (quod fanè mirandum) granofo cortice tenus Aurantium; medullitus Limonem citratum diffimulant: attamen plerumque vniuerfis fumma, imaque pomorum pars com-

Aurantiū, vnum ex hifce Pomis; eiufq; varietates diftinguūtur.

plana-

planatur : cutis expleta iam ſatis coctione ſplendenter crocea ; ſcabroſa verruculis ; communis cortice Aurantij craſſior ; acutiſſimè odora; ac ſummo pro amarore inueſca ; cui rara de more caro , candida , & ſubamara ſubſtrata ab interiori ſpicarum membranaceo velamine nullo labore diuellitur : medulla , quæ ſępè nouem concluſa loculis ab inuicem ſeparari facilibus ſemine albido , & ordeaceo conſimili ; maiori tamen , & non admodum numeroſo præditis ; acerrimo humecta ſucco linguam acriter mordet ; palatumque moleſtiſſime afficit .

Si verò limones , quos citratos appellant alterum , & ſuauiſſimum noſtræ arboris conceptum ; minus tamen frequenti puerperio viſendum aſpiciamus : hos illa parturit in vtroque prioris notæ diſcrimine , ſcilicet tam lęuis , quam ſcabroſi corporis forma noſtro idiomate *Cedrati liſci* , & *Cedrati bronconi* optimè nuncupatos ; quorum ideas ita adamuſſim , & eleganter ſcripſit , & lineauit Pater Io: Baptiſta Ferrarius in ſuis Hortis Heſperidum ; vt iterum recoquere faſtidium ; & addere omninò foret temerarium : amaritudo tamen , quę leuis in cute percipitur ; & ſurculi , à quo pendent exilitas hoſce noſtros à genuinis diſcriminant .

Limon citratus alterum huius arboris pomum.

Sed

Limon citratus-Aurantium tertium huius nouæ arboris pomũ describitur.

Sed tempus eſt; vt abſolutis iam geminis pomorum ſpeciebus tertiam pulchriorem, & nulli vnquam memoratam referamus: in cuius mirabili opificio relatas epilogo quodam mirabiliter natura concluſit; & formis adeo variari permiſit; vt Proteus ipſe præ noſtro Pomo immutabilis diceretur.

Eiuſdem Pomi varietas.

Cur Limõ citratus Aurantiũ appellatur.

Cur vulgo idem Pomum dicatur *Bizzarria*.

In hoc igitur prę ſtabili malorum genere binæ repræſentantur imagines; vna Limonis citrati; altera Aurantij: hinc lubet meliori nominis ratione; quam vulgus fuerit opinatum; Pomum Limonem Citratum Aurantium, ipſamque arborem malum Limoniam Citratã Aurantiam perſimili nomenclatura nuncupare. Vulgus enim; vel quia cerebroſam naturæ indolem in hac ſtirpe putarit: vel melius ſi dixeris; quia bis variam animaduerterit, vernacula appellatione vocat vtrumque *Bizzarria*: id tamen pręſtitit nimis amplo vocis indicio; cum cæteros quoque aut abortiuos; aut monſtroſos arborum fructus maturè perituros (vt ritè admonet noſter Dauanzatus) eodem nomine donauerit: at noſtra quotannis conſtanter delirat Pomus; ſtabilique partus decreto fœtus enititur ſuos; quorum poſtremos genialis parentis humor effecit multiplices; & diuerſa partium diſſimilium ſpecierum coitio iucundè reddidit multiformes. Hinc alius dimidia ſui

Eiuſdem Pomi va-

ſui parte Limon citratus cernitur; altera Au-rantium : binas alius ; alius trinas Limonis-Citrati partes nanciſcitur, vnicam Aurantij: vel contra plures Aurantij; Citrati pauciores conſequitur : aſpicitur hic à ſummo ſui faſti-gio ad imam vſque baſim ita diſcretus in li-ras; quas inęquabile meditullium numero va-riante diſterminat; vt alternatim modò Ci-tratus Limon toroſa cute promineat, modò altius ſulcatum Aurantium pomum ſubſideat: hic raris quandoque viſitur; ille multis: hic grandibus; ille minuſculis; & linearibus in-terdum vtriuſque pomi ſegmentis coaleſcere; quæ ſæpè rectas; rarius obliquas, atque alias figurarum ſpecies cõfusè reſeruant; vt arti-ficio potius contexta, quam natura fabræfa-cta videantur : hic non ſulcis exaratus ; non ſtrijs diſtinctus ; non colliculis exaſperatus ; Sed extimo, læuoque granoſę cutis operimen-to, croceis, aureiſque in maturitate coloribus permixtè maculoſo; illam odoris iucunditatem ſpirat, & ſaporis vibrat gratiam; quæ cum amaritudinis acumine quadantenus citratam ſuauitudinem recipit. Hiſce natura, atque a-lijs non contenta varietatibus; alias iterum; & propemodum innumeras malorum finxit diſcordias; atque vni globoſam; alteri oblon-gam; illi diſtortam; huic recuruam; alij gib-boſam;

rietas ra-tione ſpe-cierum.

boſam; alij cucullatam tribuit conformatio-

Pomi ſu-perficies qualis ſit.

nem: cui modo teres; modo ſcabra; nunc æqualis; nunc verrucoſa ex duplici tamen, & eduli ſemper auro conflata impertitur ſuperficies; quæ crebrò vtrinquę alternantibus diſſidentis Pomi ſectionibus integrè diradiatam exertat citratam illius papillam; nonnunquam verò eandem efficit dimidiatam; ſi orbes pomorum dimidios Citratus Limon; dimidios conſtruxerit Aurantium: interdum planè apice papillato defecta complanatur; ſi prominentes Limonis citrati portiones, quę rarò ſubſident ad vltimam non peruenerint

Horum Pomorum magnitudo.

extremitatem. Has porrò formarum diſparitates inęquales etiam ſequuntur pomorum magnitudines; & duorum alicubi librarum pondo vegetiora intumeſcunt.

Limonis Citrati-Aurantij interna facies oſtenditur. Eiuſdem Pomi caro.

Agè nunc reſecemus hoc Pomum; & ad reliquas illius partes introſpiciamus; quas inter primum viſendæ nobis ſe ſe offerunt carnoſæ; adeò mutuis terminis coniugatæ; vt vbi planè deſinunt Aurantij, informent Limonis Citrati; & vbi huius oriuntur; alterius pereant. Has igitur in Aurantio ſtupeas; modicè ſubemaras Limonis citrati carnibus anguſtiores; & à ſubiectis nucleis ſeiungi faciles: in Limone citrato prętenerás, Aurantij carnibus duriores; at minus tamen, quam ge-

nuinæ

nuinæ ſuaues; craſſitudine digitali; ac diuulſu non laborioſas inueniemus. Sub his latentes acerrimi guſtus medullę membranaceis, & inæqualibus octo perſæpè folliculis concluſæ deprænhenduntur: nullis aut inanibus, aut pauciſſimis ſeminibus refertæ; quas vt plurimum decolores ſulphuris pallore tingi, præter illas pulpoſis Aurantij partibus reſpondentes, quas interdum Aurantij more impensè flaueſcere; ac ſemper Aurantij quid ſapere; horum me docuit multa Pomorum anatome. Medulla. Semina.

Si cauſas ſeminis defectus; aut raritatis inquiras: habeatur inſitiua huius arboris ſpecies; quę ſemine cum nequeat reparari; nullam naturæ ſolertiam in ſeminis generatione exigebat. Cur nullum, aut rarũ, aut inane ſemen.

Sed quid plura? Si tam graphicè D. Balthaſſar Franceſchinus Volaterranus ſeculi voluentis in omni Pictura Magiſter mihi vnum ex his melioris formæ Pomum integrum, & dimidiatum delineauit? & delineatum D. Adrianus Halluech Belga Sculptor ærarius ceſtro melius, quam calamo eleganter expreſſit? Limonem Citratum-Aurantiũ quis delineauerit. Quis idẽ ſculpſerit.

Reliquum videre eſt; immò altius ſpeculari, quo naturæ genio, aut Artis Mangonio primœua illa huius trifacis arboris origo; pomique mirabilis ortus euenerint; rerumque in hanc lucem eruperint.

Prima huius arboris, & Pomorum origo, & variȩ de illa opiniones.

Nonnulli, falsò tamen, crediderunt, ex ſeminibus Aurantij, ac Limonis citrati ſimul collectis, & ſatis vtrumque malorum genus enaſci: quarum tenerrimis caudicibus arctè inſitionis lege colligatis; in vnum coire; ſuoque tempore Pomorum diuerſitatem; Pomumq; vnum ex vtraque arbore mirè compoſitum parere: non ſecus atque docuit elegantiſſimè Pontanus illis verſibus.

Lib. 2. de Hortis Heſperidum.

Qui diuerſa quidem parua, ſed ſemina in vrna
Condat, & educens collo breuiore ſtolones,
Subducatque, arctetque manu, ac ſub vincula cogat
Creſcentes: hi tandem vno ſe ſtipite miſcent,
Atque vno obducunt ſe cortice, neue flagella
Dilabi ſinito; neu ſumma cacumina ventus
Diuellat, cera linito, aut diducat adulta,
Vnguine dum proprio corpus iunguntur in vnum,
Atque operit lentum ſub eodem codice gluten;
Poſtquam alta ſteterit radice infoſſa, & opimum
Raptarit ſtirpes ſuccum, mirabere poma
Plenaque grataque non vno tamen vna ſapore.

Fuerunt alij, qui probabilius ex nouellis vtriuſque ſtirpis, Aurantiȩ videlicet, & Limoniȩ citratæ, inermibus; fœcundoque humore

gemma-

gemmantibus ramis binos elici oculos ; eosque per medium secari , & ita vnius mediam partem dimidio alterius æquabili proportione copulari ; vt oculi coincidant ; ac mutua partium adhæsione coniungantur ; vt ex duobus vnus oculus fiat ; qui postea in delibratum Aurantiæ truncum accomodatur .

——— ——— ———*Nam mixta duorum* Ouidius 4. metamorphoseos.

Corpora iunguntur , faciesque inducitur illis

Vna. ——— ——— ——— ——— ———

Ex quo inde fructus , quos diximus afferri putarunt .

Res quidem facilis dictu ; difficilis factu ; quam sæpe cum optimis Colonis ad ridiculum vertere maluimus ; quam irrito labore experiri .

Verum si nostra fidem merętur autopsia : iam prima patet huius nouæ arboris origo ; ac rata mirandi fructus principia deteguntur. Prima origo Limonię Citrarę Aurãtiæ detegitur.

Postquam sæculo altero præterito hetruscis ab agris Petræ sanctę ; ac Liguriæ contermínis omnium quot sunt odoratissimum , ac suauissimum Limonum insitiuum genus Florentina curiositas vernacula Cedrati appellatione in suam hortorum deduxit amœnitatem ; adeo sub hoc Cælo hiberna tempestate altero frigidiori ; & in solo à mare longius abeunte ; nec non maiori hortensium hominum

cultu-

cultura benè ſubacto, & exculto teneritudinis bonitate; grato odoris acumine; magnitudinis in cremento profecit (cum nuper in domeſtico, & inſtructiſſimo viridario Illuſtriſſimorum DD del Roſſo vnum ex his quatuor librarum pondus æquauerit) adeo inquam Florentiæ felicius hæc poma prouenere; vt eius ciues in omnibus omni ætate ſemper induſtrios rara hæc Limonis indoles ad ſui generis malos, ruri, & in vrbe in arbores Aurantias (quippe cęteris congeneribus vegetiores) frequenti inoculatione inſerendas prolectauerit, & impulerit. In hoc multiplici, & longa annorum ſerie iterato arborum coniugio contingere aliquando potuiſſe, *vt* ex confinio ocularis inſitionis; in quo temporis diuturnitate permixta vtriuſque arboris natura concreuerat; quam varij per communes fibrarum ductus permeantes humores diu aluerunt: vnum aliquando germen vtramque malorum ſpeciem probè reſeruans emerſerit: in cuius felices, ac diuerſi generis ramos tum alteruter; tum vterque; modò huc, modò illuc genitalis, fertiliſque illabens ſuccus in vno ſimplex Aurantium; in alio genuinus Citratus Limon; in alio Limon Citratus-Aurantium; & quod portento proximum, & ſpectatu digniſſimum eodem in ramulo tres ho-

ſce

ſce fructus facierum diſparitate diſcordes conformare valuerit. Hoc ipſum quoque euenire potuiſſe ſi vni trunco binis, terniſue inditis ocularibus gemmis; inferior vna; vel attracto vberius à ſuperioribus alimento; vel aliqua aliena iniuria obſcuretur; non tamen, vt ſæpe accidit, emoriatur; neque ita viuat, vt vnquam poſſit in germen Citrati Limonis aperiri.

Quandoquidem ſemel obcęcatus oculus non amplius germinat; ſed humorum affluxu paulatim exorbitat; ac totus inſitionis ambitus, & vltra veluti in tumorem faceſſit: ijſque perdiù cogentibus; tumidus tandem dehiſcit cortex, ac noſtra vtriuſque naturæ compos

Exijt ad Cælum ramis fęlicibus arbos:

Miraturque nouas frondes, & non ſua poma. Virgilius 2. Georgic.

Hęc fortaſſe aliquibus ingenioſa; vel ſaltem probabilia viderentur; niſi olim cultor ingenuus vireti illius vocati *della Torre degl' Agli*, vbi primum natalis extitit huius arboris origo clariſſimo Hæro ſuo omni aſſeueratione affirmaſſet ſe nulla malorum adoptione; nullo ſationis artificio; nulloq; adulterij ingenio; ſed ſolo euentu; genioque naturæ eandem fuiſſe conſecutum: ac niſi diutina malorum aurearum obſeruatione, meoque intuitu didiciſſem, ex latere huiuſmodi inueteratę inoculationis;

lationis; tam in vno, quam in altero præfato eruptionis casu hanc ipsam sponte sua prodijsse: quod infrequens obseruatur; cum quę non tantum in terris; sed Cęlo, marique rara sunt, multa, ac producta temporum intercapedine consociata suę generationis exigant principia: cum crebra; quæ facillimis, & paucissimis perficiuntur; sępè oriantur; vt melius heroo carmine cecinit Poeta Veronensis.

Hieronimus Fracastorius lib. pr. de morbo Gallico.

Principio quæq; in terris, quæq; æthere in alto
Atque mari in magno natura educit in auras,
Cuncta quidem nec sorte vna, nec legibus ijsdem
Proueniunt, sed enim quorum primordia constant
E paucis, crebrò, ac passim pars magna creantur.
Rarius ast alia apparent, & non nisi certis
Temporibusue, locisue, quibus violentior ortus
Et longè sita principia ac nonnulla priusquam
Erumpant tenebris, & opaco carcere noctis,
Mille trahunt annos, spatiosaque secula poscunt.
Tanta vi coeunt genitalia semina in vnum,

LAVS DEO.

20

27

28

34

35

36

89

41

42

45

46

48

48

52 - 53

55

57

62

64

66

CB